

P V I S



1 6 0 3

28.

GRATVLATIONES
duæ

*Sereniss. Illustriss. & inclytis Principibus
ac Dominis,*

**DOMINO FRI-
DERICO, COMITI
PALATINO, SACRI RO-
mani Imperij Archidapifero & Electori,
Duci Bauariæ, &c. Ascaniam
ingresso,**

ET

**DOMINO IOANNI GEOR-
GIO, Principi Anhaltino, Comiti Ascaniæ, Domino
Seruestæ & Bernburgi, &c. cum eius Celsitudini, natus es-
set filiulus inclytus, generosissimus, &c. Dominis
suis clementissimis:**

*Dicata & Scriptæ
auctore,*

**HEINRICO ab EICHEN
equite Anhaltino.**

SERVESTÆ

Excudebat Iohannes Schleer, Anno 1600.

6d.



I.

DIVO FRIDERICO, IV.
Comiti Palatino, Electori, &c.



Vis novus ille equitum comitatus, & illa vi-
rorum (hospes,
Turba, & quis patrijs nunc sedibus imminet
Cuius ab ore fluit decus inclytum, & inclyta
pubis

SAXONICAS volitat quænam quæ fama per oras?
Illa est ipsa tuæ **DUX** Ô **FRIDERICE**, Ducum flos,
Virtutis Comes Ingenitæ, virtutis avitæ,
Virtutis patriæ, sed jam tibi debita soli.
Ergo age, ô forti spectabilis ipse **LEONE**
Imperii DAPIFER, silvam cui præsidet **VRSVS**
Ingredere, atq; novo tibi foedere jungere perge,
Ingredere hanc silvam, non hîc Spelæa ferarum,
Nullæ hîc insidiæ, non hîc ferus imperat **Vrsus**,
Sed bonus, & virtute suâ notissimus usq;
Vrsus, seu regimen spectes, seu plebis amorem
Ingredere **Alcaniam**, nam te quoq; nomine mitem
Patria tota canit, **LEO** sis licet acer in armis.
Hinc meritò **Friderice** tibi gratatur **Anhaltus**,
Gratatur tibi religio, tibi credula **Christi**
Turba favet quando hucce venis, te mille videre
Dulce putant, gaudentq; suum venisse patronum,
Ipse tibi **Princeps** spectabilis ordine pulchro
Obviam it, intentus dextram conjungere dextræ,
Adventumq; inhiare tuum, quem ponè lecutus
Nobilium chorus insignis dat signa favoris:

Hæc

Hæc pompâ, dignâ te pompâ magna subintrans
Atria Dessauia, generosum invisis amicum.
O placidos, pompaq; graves VRSI atq; LEONIS
Conventus; quis credat eos sine Numine Christi,
Cuius in arbitrio stat res humana, paratos.
Vos ergo ô proceres, quos jam conjunxit ovantes
Ista dies, quos ipse DEVS: conjungite mentes,
Lætitiâq; ciete nouam, renouata voluptas
Crescat, & exultent imis præcordia fibris,
En! patria hæc, vobis præsentibus, omnia toto
Tristia corde fugat, nec florida vere iuventus
Indulget genio, concessaq; gaudia tractat,
Sed junctus gravitate senex, matresq; pudicæ
Argumenta ferunt lætam testantia mentem.
Quid loquar humanas jam tantum plaudere mentes:
Ipsa parens rerum Natura, novata per artus,
Aspirat vestris congressibus: ite, videte,
Diffluit en glacies, iterum est tractabile coelum,
Assumuntq; novos animantia singula vultus.
Plaudite, sic æquum est: placidos DEVS approbat ipse
Conventus, animosq; hilares: quid dulcius illis?
Hisce quid utilius? cum sint nova pabula vitæ,
Sive iuventutem spectes, seu fortè senectam.
Sic olim à curis ad gaudia transit ætas:
Sic perlæpe novo conjunctis hostibus vsu
Vis & lis belli finita, nec amplius armis
Sed potius poclis certatum atq; haustibus amplis.
Nullus at hîc hostis, sed pax regit aurea mentes.
Atq; utinam hunc vestrum nunquam divellat amorem
Vlla dies, quem nulla dies diuellet amorem.
Hic nam vester amor puro promanat ab æstu:
Hic pietas, hîc prisca fides, invictaq; verbo

A 2

Pesto-

Pectora jam coeunt, & plus sua foedera firmant!
Quantos illa Ducum parient consortia fructus!
Nec posthac multos veterum, velut ante, Deorum
In tantum vexabit amor, nec Romula tellus
Evomet in nostras iterum sua toxica terras.
Nunc quantum libeat vobis (ut credo) manipulus
Romulidum invideat, rumpantur & ilia Dicit,
Stet modo pro vobis vestros DEVS ultor in hostes.
Hoc Duce non VRSO, non quisquam impunè LEONI
Obvia signa dabit, seu (quod DEVS auferat omen)
Cum dolus exuperet, seu quando ad praelia ventum est,
Ergo tuas laudes non exequar, optime verus
Flos FRIDERICE ducum quos aurea protulit ætas.
Vnde tamen? quæve arte tamen? laudum nè tuarum
A primis canere incipiam primordia cunis?
Quantus enim fueris primæ sub flore juventæ;
Quanta vere tuo floreris indole: quantis
Dotibus ipse pares armis annisq; puellos
Præstares: quis nescit? & hæc se scire fatentur
Rhenus, & Aonii pater & sacra Numina montis,
Carmine quæ digno, te tanto principe digno
Extollunt, recinuntq; tuæ pia facta juventæ.
Hic pater heu, (cursu, dederas quem Christe, peracto)
Fata subit, rutilumq; pius conscendit Olympum.
Mox patruus Casimirus adest, DVX fortis in armis,
Dux quoq; pacis amans, rerum cui cura tuarum,
Cui quoq; cura tui, teneræ cui cura juventæ
Iure data & meritò: Viram is stimulavit ad omnes,
Quæ decorant, tolluntq; ducem, cæloque reponunt,
Virtutes, moresque graues, artesque rogatas:
Ut regere imperio ciues, ut reddere cuivis
Iura queat, sacrasque viris benè condere leges:
Sontibus

Sontibus vt poenas statuas, ut præmia justis
Decernas PATRIÆq; PATER, dicaris in oris.
His prælucebat pietas, pietatis & usus,
Et quo nempe modo divini semina verbi,
Et veri cultura DEI te sospite quondam
Cresceret, inq; tuis staret bene fixa medullis.
Atq; ut prima tuæ sic incrementa juventæ
Præteream, dum sponte tuum sic nixibus amplis
Observas patrum, monitisq; salubribus instas:
En ætas matura venit, tibi traditur omnis
Imperii moles, & crescit gloria regno.
Mox tuus hic vulgatus honos, vulgataq; fama
Et tua per totum pietas sese extulit orbem.
Quisq; PALATINI vultusq; atq; ora videre
Optabat, lætusq; tuos intrare penates.
Accessit, vidit, rediit, nec ut audio cuiquam
Longa via est, sumtus non poenitet ullius ullum:
Nam præter cereale solum, populisq; potentes
Quas NICER ille, tuus quas Rhenus proluit Vrbes:
Heidelberga viret, Vos ô quibus ardor in artes,
Vos quibus est pietas cordi hoc intrate Lycaum.
Hic pia, nec fallor, cœlo caput extulit usq;
Religio, atq; iterum rediit pax cœlica terris.
Nanq; ibi quot Galli, Germani, quotq; Britanni
Spectantur: spectatur ibi studiosa juventus
Legis anhela DEI, sitibundaq; Thespios undæ,
Undæ Thespiadum, quam Dux libauerit ipse.
Hinc cum Thespiadum PRINCEPS libaveris undas,
Tu quoq; libasti Charites: Charis ecce Camænas
Insequitur, sequitur quas gloria: gloria nunquam
Interit, at totum præpes contendit in orbem.
Omnibus hinc Placidus DVX es FRIDERICE, nec ulli

A 3

Virus.



Virus, nec diro truculentia pectore regnat:
Hac atavos, Patremq; tuum virtute celebrant
Scriptores : innata tuæ clementia genti est:
Id fatale notat tam fausti nominis omen.
Talis avus FRIDERICVS erat, fortissimus heros,
Obstreperos potuit qui spernere, sternere, stratos
Diligere, erigere, ac non porrò affligere victos :
Is sibi tres quondam captos, ceu fama, rebelles
Non vinclis, non morte domat, sed prorsus inultos
Dimittit fontes & libertate redonat.
Huic par alter erat, tam miti mente notatus,
Tam placidus clemensq; suis Dux nempe colonis,
Munera ut offerrent, quæ grata mente recepit.
Crede mihi talis nullo custode suorum
In gremio tutò cubat, is cubat vndiq; tutò :
In se convertit quosvis DVX talis ocellos,
Et cives vel sponte suos sub lege coërcet.
Hoc non mucro minans metuendaq; dextra Tyranni,
Non valeant nitido fulgentes ære phalanges.
Tantum præstat amor : certat cum principe vulgus
Officiis, & amat cum scit se rursus amari.
Hic amor, hic animus, quo, qui tibi subjacet, orbem
Iungis, in omne solum sese exerit: ecce fugatos,
Tot miserolq; viros, quorum tu portus & aura.
O fidei fructus, animi ô signa fidelis
Excipere afflictos, afflictis reddere vitam,
Ferreq; opem profugis, jugulat quos tetra Tyrannis,
Quos Latium exilio, ferroq; atq; igne trucidat.
Salve flos patriæ, cujus sub tegmine & umbra
Christus adhuc spirat : quo sospite & hospite nunquam
Res ego Christicolùm victas fractasq; fatebor.
Obene formatum, cui sub lanugine prima

Zelus

Zelus inest: quis Zelus erit, cum creuerit ætas!
Proh quantum hâc famâ magnatum accedit honori;
Qui solum te spectat honor, quæ fama penes te
Dux FRIDERICE viget, quam non abolere vetustas.
Non mors ulla queat, sed postera concinet ætas.
Perge igitur posthac claris extendere factis
Virtutem, nomenq; tuum: Sic itur ad astra.
Perge tuos æquare patres, his solus inhære,
Quodq; facis, supera; nec te divellat ab ausis
Vel fors vel Mavors, vel quod certo ordine fati
Adversi tibi contingat; persiste, resiste.
Et ducente DEO, Comite & Virtute triumphæ.
Hoc optat mea Musa tibi, mea Musa tuorum
Cultrix factorum, mea cognita Musa sub Vrso.
Donent intereà factum infectumq; metallum
Qui cupiant: satis eius habes: det munera qui vult
Munera subjectam tibi contestantia mentem.
Si tamen ista placent, atq; hoc tibi fortè placebit
Quod mea dat munus Musa, haud ignobile munus.
Si mentem dantis placidus spectabis, & isto
Quo tulit obsequio, tu tali mente probabis.
Nam qui mittit eques, doctas, sua gaudia, musas
Excoluit, vestræq; fuit virtutis amator.
Hæc quoq; cum tua sit, nec sint tibi dedecus artes,
Hæc mea suscipias, & lætus carmina cures.
Ah modò suscipias, modò tu mea carmina cures,
Tunc mihi calcar eris cum liberiora dabuntur
Ocia, & augebit nostras tua fama Camænas.



DIVO

DIVO IOANNI GEORGIO

Principi Anhaltino, &c.

PARODIA AD ODAM XV.

Horatianam lib. 4.



Hoebus volentem dicere pluribus,

Vt par, Palatinum, increpuit lyra

Illustris ut cunas puelli

Detegerem. Tua diva Conjux

Fructus tori jam rettulit uberes,

Et plantulam nuper vegetam tibi

A N H A L T E produxit, juvante

Numine difficiles labores.

Per quam tuum **D V X** nomen, & **A s c a n i s**

Stabit propago, laudibus & suis

Divina maieftas ab ortu

Solis ad interitum canetur.

Custode Anhalti Numine, non **E r i s**

Hanc floridam terram exitio dabit:

Non grex, fidem qui propter **V R S I**

Illustres inimicat **V R S O S**:

Non qui paludem tartaream bibit

Delebit **V R S I** nomina, non ferox

Iberus, infidusque **P a p a**,

Non **S c y t h a**, non inimicus orbis.

Nos læti & his in lucibus, & sacris

Latantis inter gaudia patriæ

Pro **F I L I O** sætaque **M A T R E**

Rite **D E V M** prius adprecati:

Acrem precamur more patris **D u c e m**.

Sic hæc canoris pignora tibijs

Olim canemus: nos futura

Pignora **D O R O T H E A E** canemus.

F I N I S.

Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

V077





28

XXIX.



ATVLATIONES
duæ

*striff. & inclytis Principibus
ac Dominis,*

MINO FR-
CO, COMITI
INO, SACRI RO-
*erij Archidapifero & Electori,
i Bauariæ, &c. Ascaniam
ingresso,*

ET

IO IOANNI GEOR-
*Anhaltino, Comiti Ascaniæ, Domino
nburgi, &c. cum eius Celsitudini, natus es
inclytus, generosissimus, &c. Dominis
suis clementissimis:*

*Dicatae & Scriptæ
auctore,*

FRICO ab EICHEN
equite Anhaltino.

SERVESTÆ

at Iohannes Schleer, Anno 1600.



bd.

44

